



Universitätsbibliothek Paderborn

Praxis Episcopalis

In Qva Episcoporum Non Tantvm, Eorumqve Vicariorum munus; sed
Parochorum etiam & conscientiarum directorium concernentium casuum
ac dubiorum indies occurrentium Resolvtiones ... quàm brevissimè
continentur

Zerola, Tommaso

Coloniae Agrippinae, 1680

Decimae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10447

Respondetur, quòd non, nisi urbane eos exhortari, Nav. conf. 6: nu. 6. de off. ordinar. Indulgentias à Greg. XIII. huic confraternitati concessas, vide in fine libri.

D E C I M A.

Primò, an Rector Ecclesiæ, cui decimæ debentur, possit interdici facere colonò, vel domino fundi, ne fructus colligant, vel exportent, nisi eo præsentè, vel ejus nuncio, timens fortè defraudari?

Respondetur, quòd sic, ita Addit. ad Cap. Tolos. q. 432. & si aliter se habet consuetudo, vel statutum Principis & est timor de fraude etiam, potest facere interdici, ut ibi probat ex multis Doct.

Secundò, quo tempore debent solvi?

Respondetur, quòd de prædialibus, quando colliguntur fructus, gl. in c. revertimini, in ver. annus, 16. q. 1. & si bis in anno faceret fructus, bis essent solvendo, personales verò in fine anni, gl. ibi, & Innoc. in cap. pastorales, in ver. venduntur, eod. tit. Affic. rubr. 7. in constit. quanto ceteris, num. 26.

D I S T R I B U T I O N E S Q U O T I D I A N A E.

Primò, an ubi sunt sufficientes, vel tolerabiles distributiones, possit Ordinarius eas impinguare ex tertia parte fructuum, vel dignitatum?

Respondetur à sac. Congt. decl. 471.

in facto cuidam Reverendissimo Episcopo: ea enim est summa illius capitæ, videlicet (sess. 21. c. 3.) ut hujusmodi fructus tantum assignentur distributionibus in his locis, ubi illæ aut nullæ sunt, aut ita tenues, ut facultatem præbeant negligendi. & inferius dicit, ut amplitudo illius Episcopi ab instituto desistat, annuens, quòd si sunt tolerabiles, & sufficientes, non impinguentur.

Secundò, quænam sunt, quæ veniunt appellatione quotidianarum distributionum?

Respondetur, quòd anniversaria, mortuaria, & eleemosynæ, quæ veniunt in dies, & eisdem similia emolumenta, non videantur comprehendi sub fructibus, redditibus, proventibus, juribus, & emolumentis canonicatum, nec sub distributionibus quotidianis, Nav. conf. 13. de cler. non resid.

E C C L E S I A.

Primò, Ecclesia data à Papa, vel unita alicui monasterio, non potest illius possessio capi sine licentia Episcopi, c. pastoralis, de privil. Nav. n. 60. de pæn. dist. 6.

Secundò, Ecclesia si ejus Episcopus cum toto populo labitur in hæresim, vel schisma, non ideo perdit suos honores, & privilegia, Innoc. in c. inter quatuor, num. 1. de majorit. & obed.

Tertiò, tribus casibus Ecclesia debet consecrari, primò, quando dubitatur, an sit consecrata: secundò, quando cremaretur vel in totam, vel in ma-

joti